



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 29. Polonorum Seditio contra Regem conflata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Syndicus retulit, quod quidam Clerici, Sæc. XVII. A. C. 1622.
 quos *Barnabitas* vocant, Regiis literis assulti Lutetiam Parisiorum ingressi
 sint, ac publice literas docere aggrediantur: re igitur percepta, Universitas censuit, esse reclamandum, & præcipue Facultatem Theologicam, quotiescunque urgebit necessitas, obfistere obstrictam esse. Denique die prima Octobris eadem Facultas præcepit, ut Vicarii Generales Capituli Parisiensis ulteriorem Missæ Gallicæ divulgationem præpedirent, si quid erroris in illa reperiatur.

§. XXIX.

Polonorum seditio contra Regem conflata.

Jam dudum adversus Sigismundum Meteran. Hist. Belg. lib. 42.
 Poloniæ Regem secretæ quorundam
 Procerum indignationes ob arma in
 Turcas versa exaudiebantur, demum
 vero ad publicam criminationem, & apertam seditionem res excessit. Die enim decima Februarii multi Proceres clam Renslemburgi in Cisterciensium Monasterio convenerant, ut conflata inter se conjuratione mutui auxilii ac immotæ fidei juramentum die sexta Martii exsolverent, in factionis suæ Principem electo Alexandro Kowiens-
 Hh 4 kio,

Sæc. XVII. A. C. 1622. kio, cujus auctoritate suffulti publicum diploma vulgarunt, in quo Leopoltinum Archiepiscopum, supremum Regni Cancellarium, utrumque Sbarasie Principem, Regis Pincernam, Cracoviensem Præfectum, Regnique Thesaurarium tanquam suos Præsides & Protectores renuntiabant, supplices, ut hi, utpote Patriæ Patres vix non extinctam Nobilium libertatem juraque suis subsidiis & consiliis resuscitare velent, polliciti, se vicissim omnia bona, vitam & sanguinem litaturos: Insuper Alexandro decem adjunxere Consiliarios, ea lege, ut Tribunal suum Sandomiriæ haud procul a Varsovia erigeret. Jamjam ad signa sua trigiata septem conjuratorum millia pertraxerant, resque ad extremum Regis, regnique excidium spectare videbantur: offerebat Rex militibus, qui juratis accesserant, integram æris militaris numerationem; incassum tamen erant omnia, tandem vero Sigismundus provida rerum dispositione, prudentia ac moderatione funestioribus hujus tumultus successibus præcavit, turbasque composuit.